

vus excludendi illos, et reprobatio ipsa positiva, sed quia pro illo instanti et signo rationis nondum intelligitur Deus, nisi tantum occupari circa electos, nondum vero decernere circa reprobos, in re tamen decernit. Vel si tunc pro illo instanti efficaciter etiam repellit reprobos a regno (de quo infra disp. x de reprobatione) actu positivo nolitionis illos excludit a regno, non suspensive se habet.

XLIX. Secundum est, quod voluntatem divinam non manere suspensam, sed actu positivo debere aut velle, aut nolle creaturas supposito quod cum summa resolutione, et actualitate procedit, non est aut propter necessitatem ex parte ipsius objective, quasi ipsum esse, vel non esse rei, etiam disjunctive sumpturnum, propter suam bonitatem, aut perfectionem necessitat ad alterum actum positivum divinam voluntatem, aut quia ad hoc ut creaturæ non sint, nec existentiam habeant, requiratur actus nolitionis positivus cum constet, quod Deo suspendente actum, et quocumque modo non habente volitionem positivam dandi esse creaturis, ipse sine ullo esse manerent. Tota ergo ratio habendi actum positivum, et non manendi in pura suspensione non ex objecto creato, aut ex non esse illius desumenda est, sed ex ipsa ratione subjecti, seu voluntatis, quæ cum perfectissimo et actualissimo modo procedat erga objecta sua, et perfectiori modo tangat objectum, et denominet voluntatem actus positive terminatus, quam pure suspensus, oportet quod positive attingat sive esse, sive non esse creaturarum..

L. Tertium est, quod aliqua attributa divina, quæ vel determinatas virtutes circa voluntatem ponunt, ut misericordia, liberalitas, magnificencia, vel executionem, et productionem ad extra, ut omnipoten-

tia, et similia, non est necesse quod habeant actum positive tangentem creaturas, sicut voluntas: posset enim non exercere misericordiam, aut libertatem, aut productionem omnipotentiæ, si nullus vellet producere creaturas. Ratio differentiæ est, quia illa priora attributa sunt determinata, et restricta solum ad benefaciendum creaturis, vel ordinem in illis constituendum, ut justitia, et providentia. Unde subordinantur actui determinato voluntatis, qui est amor, et volitio dandi esse creaturis, quo cessante, ipsa attributa non habent actum, non ex suspensione sua, sed ex cessatione materiæ circa quam versantur, quia non ministrant nolitioni qua Deus vult creaturas non esse, sed volitioni. Similiter omnipotentia non versatur circa ipsum velle, vel nolle, sed circa executionem ad extra efficiendo ipsos effectus, et sic solum est executiva divinæ volitionis, qua vult creaturas, non vero ipsius nolitionis, cessante vero volitione creaturam, cessat materia, seu actus cui ministrat executio. Cæterum voluntas ipsa universaliter complectitur non solum esse creaturarum, sed etiam non esse. Unde si non habet actum, non est ex defectu materiæ, quia ipsum non esse creaturæ materia et objectum est nolitionis, et ideo si actum non habet, solum potest esse ex suspensione actus, non ex defectu materiæ, suspensio autem semper sonat imperfectionem et minus determinationis et actualitatis, ut supra explicatum est.

ARTICULUS VII.

*Quæ objecta velit Deus necessario,
quæ libere?*

I. Dico primo seipsum et quidquid formaliter divinum est, et in-

DISPUTATIO IV. ARTICULUS VII.

tra Deum, Deus diligit necessario. Est sententia communis: nam et de voluntate creata id communiter theologi censem, quod necessario fatetur in Deum clare visum, tam quoad specificationem, quam quoad exercitum. Videatur D. Thomas in praesenti quæstione xix, art. iii, ubi dicit: « Quod voluntas divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium objectum ejus. Unde bonitatem suam esse Deus ex necessitate vult, sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem. » Ubi manifeste docet nostram conclusionem, quod Deus amat necessario suam bonitatem, quidquid autem formaliter intra Deum est, est ens divinum: ergo habet bonitatem divinam: ergo necessario amatur. De eodem videri potest D. Thomas q. xxiii de verit. a. iv, ubi inquit quod: « Respectu principalis voliti, quod est sua bonitas, voluntas divinam necessitatem habet, non quidem coactionis, sed naturalis ordinis, quæ libertati non repugnat secundum Augustinum v de civitate, c. x. » Idem docet de voluntate nostra, quod de necessitate velit beatitudinem, et de necessitate velit Deum clare visum, in quo est tota et universalissima ratio boni, hac prima parte, q. lxxxii, art. i et ii, et 1-2, q. x, art. ii, et denique i contra gent. c. lxxx idem docet de voluntate divina et i p. q. xli, art. ii ad iii.

II. Ratio hujus conclusionis consistit in assignanda radice et fundamento, unde ut bonitas habet ferri necessario in aliquod objectum, quando operatur cum plena cognitione, et advertentia: nam si advertentia plena careat, fertur necessario in objectum sibi propositum, quia proponitur sine indifferentia, et sic non potest ab illo voluntas modo indifferenti moveri, sed operabitur modo determinato, et contracto ad

unum, ob imperfectum modum apprehendendi objectum, qui est modus necessitatis oppositus indifferentiæ dominii, et libertatis. At vero quando est plena advertentia et cognitio non potest voluntas necessitari, nisi objectum propositum ita universaliter, et ad plenum illi adæquatur, quod si relinquere ipsum objectum, transiret et relinquere rationem suam formalem et specificativam ipsa voluntas. Quare necessitas voluntatis circa aliquod objectum sumitur ex necessitate quam habet recedendi aut relinquendi suam formalem et specificam rationem. Est autem formalis ratio sub qua voluntas tendit ad suum objectum ipsa ratio boni, sicut formalis et propria ratio intellectus est ratio veri, et formalis ratio visus est ratio lucidi seu visibilis. Hæc autem ratio boni sub qua voluntas tendit in suum objectum et inclinatur, non est aliqua ratio boni particularis et determinati, sed tota collectio, et universalitas boni appeti potest ab ipsa, quia sicut intellectus omnem rationem entis et quamcumque veritatem potest intelligere, sic et voluntas amare: sequitur enim voluntas intellectum. Ubi ergo solum offeratur voluntati bonum particulare, cum non adæquet totam rationem voluntatis, non alligatur illi de necessitate, quia extra illud potest in alio invenire formalem rationem suam, scilicet rationem boni, et sic relinquere illud particulare bonum et duci ad istud vel etiam relinquere istud et inclinari ad aliud, quia in quacumque invenit rationem suam formalem independenter ab alio. Si vero offeratur ei aliquod bonum continens omnem collectionem boni universalissimi, quia infinitum bonum est, si posset illud relinquere voluntas, posset excedere totam sphæram et collectionem suæ rationis formalis, quod est impossibile.

bile, quia posset relinquere totam universalitatem boni, Deus autem in seipso clare visus est universalissimum bonum, quia infinitum; unde dicitur Exodi xxxiii: *Ego ostendam tibi omne bonum, ad significandum beatitudinem, quæ in Deo clare viso consistit: ergo voluntas necessitatibus ad bonitatem divinam clare visam tanta necessitate, quanta ad non excedendum sphæram suæ formalis, et specificæ rationis, et multo magis Deus qui non solum habet bonitatem suam visam, sed etiam comprehensam.* Et est exemplum ad hoc explicandum in materia prima, quæ respicit pro adæquato termino suæ informationis totam collectionem formarum substantialium, et ita per nullam particularem satiatur, nec ita alligatur illi, quod non possit eam dimittere vel amittere. Si autem daretur una forma, quæ totam illam collectionem formarum sua perfectione contineret, illa totam potentialitatem materiæ satiaret, et exhaustiret, nec posset ab ea divelli.

III. Dices: Haec ratio multum probat: nam sicut probat in voluntate esse necessitatem quoad Deum clare visum, ita probat esse libertatem quoad objecta, seu bona particula ria creata: ergo eadem ratione probaretur esse libertatem in aliis extra voluntatem, quae habent pro objecto aliquid universale, et non determinantur ad hoc vel illud, sicut appetitus sensitivus fertur ad omne bonum sensibile, et sic licet necessario inclinetur in bonum sensibile, ut sic, vel in totam collectionem boni sensibilis, tamen in hoc, vel illud bonum sensibile determinatum non feretur ex necessitate, quia in nullo invenit adæquatam rationem sui objecti. Similiter visus licet specificetur a colorato ut sic, non tamen a colore determinato, puta viridi, vel rubeo, et sic erit li-

ber respectu particularium colorum; et materia prima licet necessitatibus a tota collectione formarum, non tamen ab ista, vel illa forma determinata, et sic libere se habebit ad illas. Sicut ergo argumentum hoc nihil probat in istis, nec etiam probabit in voluntate dari libertatem, et consequenter, neque necessitatem respectu Dei clare visi.

IV. Respondetur argumentum optime probare necessitatem, et inclinationem naturalem voluntatis in Deum clare visum ratione adæquationis cum tali objecto ex parte rationis formalis, a qua non potest voluntas recedere, aut declinare: esset enim declinare a sua specificatione et essentia. Similiter probat ratio quod ex parte objecti nulla datur ratio necessitans voluntatem, quando bonum est particolare, et non totam rationem boni in se continet. Quod vero probetur absolute esse libertatem, seu indifferentiam cum dominio super attingentiam talium objectorum, supponit ultra hoc aliud principium, nempe quod illa objecta non adæquantia totam rationem formalem et specificam potentiae proponantur cum judicio indifferenti, et conferente proportionem unius cum altero, non ex instinctu quodam determinato et ad unam tantum partem inclinante, sed utramque partem, et proportionem rerum conferente, et sic determinationem accipiente ex arbitrio suo, non ex instinctu alterius. Et dico oriri ex cognitione collativa, non collativa formaliter solum, sed collativa formaliter, vel eminenter, ut in Angelis, et Deo. Et ita D. Thomas probat in hac quæstione xix, art. xi, esse in Deo liberum arbitrium, quia non agitur ex instinctu, sed ex judicio indifferenti, et q. lxxxiii, art. i probat, quod homo est liberi arbitrii, quia non operatur ex instinctu, sed ex collatione

judicii. Quare non sufficit ad rationem arbitrii babere se objectum inadæquate, et non ex alligatione ad determinatum et particulare objectum sue rationis formalis, sed ulterius requiritur quod ex cognitione illius indifferentiæ, et inadæquationis se moveat, quia liberum arbitrium solum est in se moventibus ex cognitione finis, non in his quæ ex solo instinctu moventur ab alio. Et ideo appetitus sensitivus licet habeat pro objecto universalitatem sensibilium, non tamen moverit libere etiam circa particula ria sensibilia, quia non ex collatione judicii, et indifference, et comparatione objectorum movetur; multo minus visus circa particulares colores, ad quos inadæquate se habet, aut materia prima circa particulares formas libere se habet, licet inadæquate, quia ista non se movet ad formas per cognitionem, ille non se movet ad colores per appetitum, nec per collationem judicii, sed a coloribus movetur determinate.

V. Praeter hanc rationem hic usque explicatam, quæ communis est voluntati divinæ, et nostræ, ad probandum quod Deus clare visus diligetur necessario, quia scilicet in eo manifestatur tota plenitudo et universalitas boni, et nulla ratio mali, est alia peculiaris ratio in Deo ad amandum se necessario, quia ipse amor actualis est ipsam divina essentia: ergo tam necessario se amat, quam necessario existit ipse actus, et ipse Deus. Patet consequentia, quia ipse actus, amoris non egreditur a potentia aliqua Dei, reducendo illam ad actum: sic enim distingueretur ab illa, sed est ipsa entitas, seu essentia divina: ergo sicut naturaliter et necessario Deus est suum esse, ita naturaliter et necessario amor Dei est ipsum esse Dei, et ipsa divinitas; ergo necessario amat ipsum Deum, quia ne-

cessario est conjunctus, illi imo et summe identificatus cum illo, non solum entitative, et subjective, sed tamquam cum objecto amabili, id est, ut summa bonitate a se amata, quia etiam ut objectum est perfectio amoris, et sic necessario illi conjungitur.

VI. Confirmatur, quia objectum se habet ut perfectio appetitus, et ut perficiens ipsum: ergo amor qui necessario habet summam perfectionem, necessario habet suum proprium appetibile, seu bonitatem quam appetit: amor autem Dei habet summam perfectionem, cum sit ipsa substantia Dei: ergo necessario habet conjunctam suam bonitatem, et objectum quod diligit, et hoc est ipsa bonitas divina. Plures rationes vide apud D. Thomam, i contra gent. c. lxxx citato

Quomodo autem necessaria ista volitio circa objectum summe bonum, etiamsi necessaria sit, perfectior sit, et magis intima, et voluntaria, utpote totam voluntatis vim, et universalitatem adæquans, dicemus Deo dante 1-2, circa quæstionem vi. Videatur D. Thomas i p. q. lxxxii, art. i.

VII. Sed inquires: An rationes istæ probent dilectionem hanc esse in Deo necessariam, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium? Et est ratio dubitandi, quia objectum ut objectum solum est specificativum actus: ergo necessitas in actu proveniens ab objecto solum est necessitas specificativa, seu quoad specificationem.

Respondetur nihilominus probare has rationes utramque necessitatem. Et quidem ultima ratio deducta ex perfectione divini actus, quæ identificatur cum ipso esse, et substantia Dei, manifeste id ostendit, quia si quoad exercitium haberet libertatem, posset non amare se, et consequenter non habere sibi conjunctam perfectionem sui proprii

objecti, et sui appetibilis, cum quo habet summam identitatem quod esset carere perfectione. Ratio autem deducta ex universalissima ratione bonitatis, quæ est in tali objecto, id est, in bonitate divina, probat necessitatem quoad exercitium, non ex præcisa ratione objecti, sed ex ipsa natura, et ratione voluntatis supposita tali ostensione, et propositione objecti. Ut enim diximus in libris de anima, q. xii, art. iv, ex Cajetano ut m. Bagnez i p. q. LXXXII, art. ii, necessitas quoad exercitium, ita quod voluntas non possit aliam operationem exercere, nec eam suspendere, non oritur ex objecto ut objectum est, quia sive objectum solam specificationem tribuit, sed nascitur ex subjecto, et statu ejus circa tale objectum: ipsa enim natura voluntatis hoc petit ex vi sua, quod circa tale objectum clare visum, et in se, quia est universalissimum bonum, et omnem capacitatem et universalitatem ejus adæquat, toto pondere, et tota universalitate sua feratur. Unde non est indifferentia in voluntate ad cessandum ab actu, quia cum illud bonum sit ita adæquatum toti capacitatibus voluntatis, quod totum ejus conatum et pondus ad se trahat, cum ex nulla parte aliquid mali, vel carentia boni appareat, non potest nec ipsum objectum, nec cessatio ab eo proponi, ut dispiens, et inconveniens, quia idem est proponi sibi ut convenientem cessationem ab illo amore, atque proponi sibi ut conveniens non velle esse beatum, quia in illo objecto, et exercitio circa ipsum est tota et adæquata beatitudo. Non velle autem esse beatum est contra rationem formalem, et specificativam voluntatis. Ex ipsa ergo natura et pondere voluntatis, et propria ratione formalis illius oritur, quod viso clare Deo sit necessitata in exercitio ad amandum illum.

VIII. Dico secundo: Non est inconveniens ponere in divina voluntate aliquam necessitatem erga objecta creata extra statum possibilitatis posita, nempe necessitatem quoad specificationem, vel ex suppositione alicujus prioris voliti, ita tamen quod ita necessitas oriatur ex ipso Deo in voluntate non ex objecto volito. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma i contra gent. c. LXXXIII, ubi ostendit Deum velle alia a se necessitate aliqua conditionis, vel suppositionis, et necessitatem etiam ex suppositione admittit in hac quæstione xix, a III, et xxv de verit. a. iv. Similiter necessitatem quoad specificationem admittit in hac prima parte, q. xxi, a. i ad ii, ubi dicit quod: « Cum bonum intellectum sit objectum voluntatis, impossibile est Deum velle, nisi quod ratio sue sapientiae habet, etc. » Ergo quoad specificationem necessitatur voluntas divina erga bonum suæ sapientiae ratione regulatum, ita ut circa illud non possit habere displicentiam, licet in exercitio non necessitetur hoc vel illud bonum determinate eligere. Item in i contra gent. c. xciv, expresse docet: « Deum non posse velle aliquid malum, quia semper operatur operatione virtutis: » constat autem quod virtus ex sua specificatione necessario fertur in bonum, quia est id quo aliquis bene operatur: voluntas ergo divina quæ per essentiam suam est virtus, non minus necessitatur quoad specificationem erga bonum, ita ut non sit libera, nec possit velle malum, sicut necessitatur ipsa virtus.

IX. Ratio autem utriusque partis ea est, quia neutra necessitas, scilicet ex suppositione et quoad specificationem officit libertati, et non dicit imperfectionem, sed potius perfectionem: ergo Deo neganda non est. Antecedens probatur, quia utraque nascitur ex ipsa libertate aut perfectione volentis: nam ne-

cessitas ex suppositione nascitur ex eo quod libere aliquid est volitum, et inde sequitur necessario esse volendum id quod illi rei per se est annexum, sicut ex suppositione quod Deus vult esse hominem debet necessario velle creare animam, quia sine anima non potest intelligi homo, et ex eo quod Deus voluit dare gloriam Petro, necessario non potest reddi nolita illa gloria, quia actus Dei est immutabilis et aeternus. Et sic illa prima necessitas suppositionis oritur ex ipsa libera volitione alicujus objecti, qua supposita, necessarium redditur necessitate consequenti, id est, necessitate quæ fundatur, et sequitur ad ipsam liberam volitionem quod ametur id quod tali objecto vel actui necessario est annexum: ergo talis suppositionis necessitas non destruit libertatem, quia ex ea oritur et ad eam consequitur. Imo pertinet ad perfectionem ejus, quia esset diminuta libertas, et sibi contradicens, si volendo enim objectum non vellet id quod ei necessario est annexum: sic enim vel recederet a priori volitione, et esset inconstans, vel vellet duo opposita, et sic esset sibi contradicens. Similiter necessitas quoad specificationem oritur ex perfectione libertatis, et ex ipsis visceribus rationis ejus formalis, quia ad perfectionem voluntatis, et ad rationem ejus formalem pertinet ita respicere bonum, quod ab eo non possit deficere, nec velle aliquid, nisi sub ratione boni, quia ad perfectionem libertatis, et voluntatis pertinet ut recta sit, et recte amet quidam amat: si enim non recte amat, perversa est et defectuosa: ergo non posse non esse rectam perfectio est, quia posse non esse rectam est posse deficere a perfectione, et rectitudine, et quanto ab ista deficit voluntas, deficit a perfectione, et sic imperfecta est. Necessitas ergo volendi bonum, et rectum, et non deficien-

di ab ipso, simpliciter est perfectio et non contrariatur libertati, quia potius eam firmat, et consolidat in sua ratione formalis, quæ est ordo ad bonum sub ratione boni, et hæc est necessitas quoad specificationem, id est, quoad speciem actus circa tale objectum, quod est bonum, ita quod voluntas si circa bonum et rectum versetur, non nisi perseverando, et amando versari possit. Unde optime dixit S. Thomas i p. q. LXII, a. viii ad iii: « Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus. Sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major arbitrii libertas est in Angelis qui peccare non possunt, quam in nobis qui peccare possumus. » Sic ergo Deum esse necessitatum ad non peccandum et ad volendum quod justum et rectum est, si voluntas habeat actum circa illud, et ad abominandum quod malum est, perfectio est voluntatis et libertatis ejus.

X. Et ex hoc manet probata secunda pars conclusionis, quod ista necessitas non ex ipso objecto nascitur, sed ex ipso Deo qui nullum objectum creatum potest necessitare ipsam voluntatem divinam cum fit ea inferius et infinite imperfectius. Unde non supponitur bonitas creata ad divinam voluntatem quæ eam moveat, sed ab ead derivatur bonitas quam amat: imo hæc est etiam ratio quare necessitatur quoad specificationem Deus circa amorem boni, quia omne bonum vel est ipse Deus, vel derivatum a Deo, nec aliud est in Deo erga creature amare, quam dare: ergo id quod amat tale est, quod non possit odio haberi, quia a Deo est: ergo necessitatur quoad specificationem a se ipso. Et similiter necessitas ex suppositione